

BV4224

L6

v.3

1869-74



UNIVERSIDAD DE SALAMANCA



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

BIBLIOTHECÆ

MANUALIS

CONCIONATORIÆ

MANSUETUDO.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Mansuetudo est virtus, qua iram adversus eos, qui nos injuria afficere videntur, comprimimus, et moderamur, Seu, ut Aristoteles definit, est virtus amiosæ partis, qua præditi ægre moventur ad iram. Hinc, S. Ambrosius, quisunt mansueti, ait, nisi quos nullus stimulus dissensionis exagitat, non ira perturbat, non sævitia exasperat, non rabies crudelitatis inflammat? Differt a clementia, quia hæc est virtus inclinans ad lenitatem in pœna exigenda.

Divisio. — Dividi potest, in eam, quam *erga Deum* exercemus, quatenus ejus iudicia benigno animo sustinemus, juxta illud Psalmistæ: Sustinentes autem Dominum ipsi hæreditabunt terram: Et eam, quam *erga homines* tenemus, dum vel taciturnitate, vel placida responsione, vel malorum illatorum humili tolerantia, eorum improbitatem superare contendimus. BEURLIN, in t. III, fest. Omn. SS. Ps. xxxvi, 9.

Tomus III.

Actus. — Præcipui sunt:

1. Ubi ab alio ad iram concitati sumus, silentium tenere.
2. Iram interius cohibere, et aptis mediis frænare.
3. Cor nostrum ad serenitatem et tranquillitatem inducere, et tandem ipsum inter injurias pacare.
4. Injuria nos afficientibus, blandis verbis et molli sermone respondere.
5. Injuriantibus beneficia rependere, parcere, et pro illis orare, sicque vincere in bono malum.
6. Injuriam oblivisci.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Fratres: si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu teneris. GAL. VI, 1.

Admone illos, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad homines. TRR. III, 2.

Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem. II TIM. II, 24.

Obsecro vos ego vincetus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis.

cum omni humilitate et mansuetudine. *Eph.* iv, 1.

Declina pauperi sine tristitia aurem tuam : et redde debitum tuum, et responde illi pacifice in mansuetudine. *EccL.* iv, 8.

UTILITAS. — Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. *MATT.* v, 4.

Responsio mollis frangit iram : sermo durus suscitatur furor. *Pr.* xv, 5.

Ipse deludet illosos, et mansuetus dabit gratiam. *Pr.* ii, 34.

Melius est humiliari cum mitibus, quam spolia dividere cum superbis. *Pr.* xvi, 19.

Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. *JUDITH.* ix, 16.

Propter veritatem et mansuetudinem, et justitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua. *Ps.* xli, 6.

Suscipiet mansuetos Dominus, humilium autem peccatores usque ad terram. *Ps.* cxlvi, 6.

Sapientia et disciplina timor Domini, et quod beneplacitum est illi, fides et mansuetudo. *EccL.* i, 35.

DIGNITAS. — Beneplacitum est Domino in populo suo, et exaltavit mansuetos in salutem. *Ps.* cxlix, 4.

Sedes ducum superbiorum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis. *EccL.* x, 7.

Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligere. *EccL.* iii, 19.

JUCUNDITAS. — Discite a me, quia mitis sum et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris. *MATT.* xi, 29.

Mansueti autem hereditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis. *Ps.* xxxvi, 11.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Mei semper sit in ore ; per ora mittamus nihil, nisi mellitum, nihil asperum, nihil amarum, sed omnia cœli digna. *S. CHRYS.*

Regat disciplinæ rigor mansuetudinem, et mansuetudo ornet rigorem : et sic alterum commendetur ab altero, ut nec rigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. *S. GREG.* xix, *Mor.*

Ne dixeris : est improbus, nec ferre possum ; tunc enim maxime attendenda est mansuetudo, cum res nobis est cum sævis et agrestibus hominibus ; quando cum his,

qui sunt ab humanitate et mansuetudine longe alienissimi, tunc ejus virtus ostenditur. *S. CHRYS.* *super Ps.* cxviii.

Convitiis (homo mansuetus) lacerabitur, vince, convitia non regerendo ; persecutionibus affligetur ? sustinebit ; maledictis prosceditur ? exhortabitur ; calumniis agitabitur ? orabit ; probris impelletur : Christi societate honorabitur ; percutietur in dexteram maxillam : præbebit et alteram, imo tertiam, si habebit. *S. GREG.* *NAZIANZ.* or. 6, *Max.*

Malum hominem tacendo, et locum dando, melius vincis, quam respondendo, quia malitia non instruit sermonibus, sed excitatur. *S. CHRYS.* hom. xxxviii, *in Matt.*

Sunt quidam mites, sed quando nihil dicitur, nec agitur, nisi pro eorum arbitrio ; patebit autem, quam longe sint a vera mansuetudine, si levis oriatur occasio. *BERN.* *sup. Cant.*

Mitis est, quem nec rancor, nec ira afficit, sed omnia æquanimiter sustinet ; non irritat, non nocet, non nocere cogitat. *HERON.* *in gloss. sup. Mat.*, c. v.

Multi mansueti patientes injuriam postea mansuetudinem in malitiam convertunt. *GREG.* *in Past.*

NECESSITAS. — Jam ex hoc ipso boni viri nomen amittat, necesse est, si nocerit : non minus enim mali est, referre injuriam, quam inferre. *LACTANT.* *FIRM.*, c. vii, l. 1 *de Off.*

Multi sunt, qui perfectionem et sanctitatem in actibus mortificationis corporalis constituunt, non intelligentes quanto majus sit lucrum in tolerantia injuriarum. Multi sunt, qui orationibus et officiis insistentes, multas abstinentias, et afflictiones in suis corporibus faciunt, sed de solo uno verbo, quod viderint injuriam esse, scandalizantur, statim et conturbantur. Hi non sunt vere pauperes spiritu, quia qui vere pauper est spiritu, se ipsum odit, et alios diligit, qui ipsum percutiunt in maxillam. *S. FRAXC.* *SERAPH.* op. i, 14.

Multa sunt virtutes, inquit ille, quæ christianum virum bene decet, maxime autem omnium mansuetudo ; nam eos solos, qui hac conspicui sunt, Dei imitatores Christus nominat ; proinde congruum est, ut quando quis contumelia nos afficit, sustineamus mansuele, considerantes, quod Dei imitatores lenitas facit. *CHRYS.*, t. V, l. 46.

Dum foris invicti esse cupimus, intus gra-

viter ferimur ; et dum parva foris defendimus, intus amittimus maxima, quia dum rem diligimus temporalem, veram amittimus dilectionem. *S. GREG.* ho. xxvii, *in Evang.*

Nihil est fœdus præceptore furioso, qui cum debeat esse mansuetus et humilis ad omnes, ex diverso torvo vultu, rugata fronte, tremantibus labiis, effrenatis superciliis, facie inter pallorem et ruborem variata, clamorem perstrepat, et errantes non tam a bono retrahit, quam ad malum sua savitia præcipitat. *S. HERON.* *sup. epist. ad Tim.*

UTILITAS. — Nihil arduum est humilibus, nihil asperum mitibus. *S. LEO* v *in Epiph.*

Ideo Sauli in millibus, David in decem millibus (intellige, sit gratulatio) quia durus in paucis, mansuetus in pluribus. *S. AMB.* *in Ps.* xliii.

Quid est, quod posteaquam terribilis Deus mitissimi Pastoris elegit officium, Pastoris personam induit ? ut ferocientes Reges ad ovium duceret ac redderet lenitatem. *S. CHRYS.* t. VI.

Mansuetus homo, cordis est medicus. *S. AMB.* *ad Vercel. episc.*

Beatus qui severitatem et mansuetudinem tenet, ut altero disciplina servetur, altero innocentia non opprimatur. *IBID.*

Mitis reverendus pater pueris, et observandus dominus est servis. Nihil enim ita conciliat domino familiares, ut quod illum vident tranquillum se offerre, et mansuetudine jucundum : nam et talem majoris faciunt, habentque pro patre, et non pro domino, gratus et amabilis est videntibus, gratus item et his, quibus tantum nomine notus est. Neque facile ullum invenies, qui audiens laudari hominem mansuetum, illum videre et osculari non desideret, et non habeat in aliqua lucri parte, ejus amicitia diu posse frui. *S. CHRYS.* hom. *de Mansuet.*

Non habet in eo locum pruina vitiorum, qui calcatis odiis integrum charitatis custodit affectum. *S. VALER.* ap. *MANS.* tract. xxxvi, *disc.* 5.

Qui et contumelias, et injuria altior est, is et hic ab omnibus immortalibus coronabitur encomiis, quod non modo hostem, sed animos, iramque suam superaverit, et in altera vita ideo maxima obtinebit præmia. *S. ISID.* *PELUS.* l. V, c. cvl.

Dæmones, ubi viderint quempiam vel contumelia effectum, vel ignominia notatum, vel damno aliquo muletatum, vel

quodcumque aliud damnum perpessum non affligi, quod aliquid mali sustinuerit, sed quod illud ipsum generose et fortiter perulerit, hujus vim et conatum magnopere pertimescunt. *S. CLM.* *gr.* 9.

Mansuetudine furor vincitur. *CHRIST.* *sup. Act. Apost.*, hom. xxxi.

Mansuetus sibi et aliis utilis. *Id.* *ibid.* hom. iv.

DIGNITAS. — Qualis quisque apud se lateat, contumelia illata probat. *S. GREG.* l. II, *Idial.*, c. v.

Infinita virtus est, odia vicisse beneficiis : nam ille inter cæteros palmam perfectæ virtutis obtinet, qui ad vicem veneni pocula dulci melle componit. *S. VALER.* hom. *de Bono pacis.*

Felix ille, qui quotidie Dei causa convitiis agitur et contemptus, violenter se ipsum pro patientiam vincit ; nam ille cum martyribus tripudiabit, et inter Angelos liber, ut Angelus. *S. CLM.* *gr.* iv, n. 52.

Quale spectaculum, quam grave et admirandum, ac sane nonnihil etiam ipsam humanam naturam exsuperans, hominem multis conviciis jactatum, et qui etiam vulnus in facie accepit, quippe alia sexcenta perpessus est, quæ et verbis et re ipsa ad extremam infamiam tendunt, non ira incendi, nec ullionem parare, sed mansuetum pro eo, qui sibi injurias intulit, preces fundere. *S. BASIL.*, or. ix, *de Ira.*

Quid Divinæ tranquillitatis tam proximum quam illatis contumeliis non nocere, nullo supplicio, nullave persecutione terri, unam mentis et in prosperis, et in adversis habere constantiam, inimicum, et amicum eodem oculo intueri. *B. HIERON.*, *in Sp. car.* c. vii.

Mirabile promissum Salvatoris, quo gratiam mansuetis promisit ; an is nihil dabit gratiæ, qui jejuniis, qui castimoniis, qui elemosynis, qui virtutibus aliis suo Conditori se commendavit ? Imo vero dabit, sed mites erunt primi, qui optimam partem, qui totos principatus auferent in præmium. *S. CHRYS.* *sup. Prov.* iii.

Rex David quam mitis, quam blandus, humilis spiritu, sedulus corde, facilis affatu, fortis in prælio, mansuetus in imperio, patientis in convitio, ferre magis promptus, quam referre injurias, ideo tam charus erat omnibus, ut juvenis ad regnum invitus peteretur, et resistens cogere : senex, ne prælio interesset, a suis rogaretur, quod

malent omnes pro ipso periclitari, quam illum pro omnibus; itaque parentes cum filiis, filii parentibus præferabant. S. AMB. in Ps. cxxxii.

Suscipiens mansuetos Dominus: non dixit, opem ferens mansuetis, sed quod est longe majus, «suscipiens.» Quod autem est suscipiens? recreans, fovens, bajulans, et velut mater in ulvis gestans: hoc audiunt mansueti, et letentur. S. CHRYS. super Ps. cxxxvi.

Non perinde minor Moysen, quod a saxo prærupto fontes eliciat aquarum, ut admiror Davidem, quod ex oculis lapideis (Saulis) fontes eduxerit lacrymarum (puta mansuetudine sua). S. CHRYS. h. de David et Saul.

Tantum est mansuetudinis robur, ut sola hæc virtus sufficiat, se colentem diligenter ineffabilibus efferre, imo omni hominum genere præferre. S. CHRYS. hom. xxxiii.

Maxima omnium virtutum mansuetudo, eoque in beatitudinum numerum relata est. S. BASIL. in Ps. xxxiii.

Hæc omni claritudine et gloria conducibilior. Quid enim beatus, quam instestino liberari bello? Sicut neque mirabilis est aliquid civitate, quæ licet præsidii et muris bene sit munita, intus tamen cives foveat proditores. S. CHRYS. in Gen. hom. xxxiv.

Magna est virtus, si non lædas a quo læsus es; magna est fortitudo, si etiam læsus remittas; magna est gloria, si cui potuisti nocere parcas. ISIDORUS, in Soliloq.

JUCUNDITAS. — Mansuetudo homini totus mundus patria est, totque locis habet fundum quot locis reperit amantes. JANSON.

Nihil animum ira in tranquillitate et quiete esse facit, ut mansuetudo et modestia. Illa animam nostram quasi in portu constituit et omnis quietis ac recreationis nobis occasio est. S. CHRYS. h. xxxiv in Gen.

Beatus ac vere felicissimus vir ille est, qui mansuetus est. S. EPIPH. de Vit. et virt.

Merito terram possident, in quibus Deus ipse requiescit, sicut divino per Isaiam resultavit oraculo dicens: Supra quem requiescam, nisi supra humilem, et quietum, et trementem verba mea? S. AMB. in Ps. xxxvi.

Qui pepercit, et æquo animo tulerit, letabitur post hæc, et deliciis perfruetur, præmia injuriarum oblivionis a Deo sperans. S. CHRYS. ap. MANSI, hom. xxxvi, dis. vi, n. 1.

Vellem posse ostendere, qualis sit qui vituperat, et qualis, qui philosophatur, et nudum utriusque animum in medium ducere. Videres alterum pelago fluctibus exagitato similem esse, alterum vero tranquillo portui et quiescenti. IO., h. lxxxviii. in Matt.

Beatos illos iudico, qui verba laborum suorum tacito ore custodiunt, et memores cælestium mandatorum, alienæ vocis contumeliam non requirunt; cessant enim odia ubi non reputatur injuria, nec habet ullam virtutem iracundia si desit unius in contentione persona; ira duplex patientiam manet victoria hominem vicisse proprios animorum motus, et temperasse motus alienos. S. VALER. hom. cit.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Homo pacificus magis prodest, quam doctus. Bonus pacificus homo omnia ad bonum convertit. Qui bene est in pace, de nullo suscipitur. LIB. II, t. III, c. 1.

Non est magnum cum bonis et mansuetis conversari; hoc enim omnibus naturaliter placet; unusquisque libenter pacem habet, et secum sentientes magis diligit. Sed cum duris, et perversis, aut indisciplinatis, aut nobis contrariantibus pacifice vivamus, magna gratia est, et laudabile nimis virileque factum. IB. § 5.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Christus adhuc puerulus adeo mitis erat et suavis, ut a Judæis suavitatis appellaretur, et ideo illi ad se mutuo dicerent: Eamus ad suavitatem, ut hilares fiamus. Postea grandior factus cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se injuste. Et tanquam agnus coram tondeute se obmutuit, et non aperuit os suum. Hinc merito se in exemplum hujus virtutis proposuit dicens: discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Sed et S. Bernardus de eo dixit: Dulcis est Jesus in voce, dulcis in facie, dulcis in nomine, et dulcis in opere. BARRIUS, in solit., Hag. ser. cccvi.

De B. Virgine S. Bonaventura scribit: Maria mansuetissima fuit per patientissimam lenitatem: gladius quidem cor ejus pertransiit, sed per odium non occidit, nec per impatientiam vulneravit. Hinc S. Bernardus: Revolve, inquit, scripturæ seriem, et si quid in Maria asperum repereris, de cætero eam suspectam habeas. Et Ecclesia canit: Virgo singularis inter omnes mitis. Imo Christus ipse S. Birgittæ revelavit, inter causas, ob quas Mater sua super omnes Angelorum choros exaltata est, fuisse ejus humilitatem. In Speculo, c. viii.

De Moysæ testatur ipse Deus in Sacra Scriptura, quod fuerit mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra. Hinc eundem propter hanc virtutem, Dei apparitione et alloquio dignum effectum, S. Dionysius Areopagita testatur. NUM. XXI, 3.

David adeo mansuetus erat, ut hanc potissimum pro motivo ad exaudiendas preces allegaret: Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. PS. cxxxii, 2.

S. Martinum nemo unquam miratum, nemo moerentem vidit, sed unus idemque semper cælestem quodammodo lætitiæ præ se ferens vultu, extra naturam hominis videbatur. S. JULIUS in vita.

Florentinus Carduensis Episcopus adeo mansuetus erat, ut de eo S. Paulinus dixerit: Proculdubio per mansuetudinem ovis, et agni innocentiam, pastor esse meruisti. S. PAULIN., in ep. xxiii.

De Theophilo Alexandrino dicebat S. Hieronymus: blandiris ut pater, erudis ut magister, instituis ut Pontifex. S. HIERONYM. ep. lxxii.

Theobaldus Rex de se dicebat: Mutavi cum dignitate propositum, et si antea districte defendimus, nunc clementer omnia mitigamus. CASSIOD. l. I, var.

Duo monachi, cum vir quidam sanctus eos explorare volens, baculo omnia alera confregisset nihil dixerunt, nec tristem vultum ostenderunt, sed cellulam ingressi vespertinas orationes compleverunt, et dixerunt: Si præcipis, Domine, ibimus, ut eum, qui remansit, caulem coquentes gustemus, quia jam hora est ut cibum sumamus. RUFFINUS, l. III, n. 22.

Joanna Portugaliæ Princeps, postquam religionem intravit in eo corio, quo colus obligatur, inscribi fecit hæc verba: Discite a me quia mitis sum, et humilis corde. HENR. ENGELS., in Dom. 20 post Pent.

S. Paula, si quando procacior fuisset inimicus, et usque ad verborum jurgia prolisisset, illud Psalterii decantabat: Cum consisteret peccator adversum me, obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis. S. HIERON. epist. xxv, ad Eust.

Ladislaus Ungariæ Rex victoria potitus de hoste, dum militem adhuc sævire in victos videret, receptui cecinit, et exclamavit: Parcite, milites, humano sanguini, capite potius fugientem multitudinem, et Dei populum multiplicare. BERL. in fest. Omn. SS. the. iv.

Sanctus quidam senex exagitatus ab Alexandrinis, cum rogaretur ab illis, quænam miracula Christus fecisset, respondit: hoc maxime, quod ego convitiis et injuriis vestris accessus ad indignationem non movear. VII. PP. et CASSIAN.

Otho Magnus imperator, cum tota prope in ejus perniciem Europa, et inter alios etiam Henricus frater ejus conspirasset, sed plurimis tandem præliis victus, comitantibus aliquot Episcopis ad genua procidens, veniam peteret, respondit: Equidem venia dignus non es; attamen non qui tua merentur facta, sed quid fratrem, et Regem deceat, spectabo, si que eundem amplexus. Lotharingiæ primum aliquot civitatibus præfedit, postea vero omnino Ducem Bavariæ creavit. GRANT. XIX, s. xlii.

In Annalibus Ecclesiasticis in laudem Clementis VI, quia sicut nomine, ita et re clemens fuit scribitur, quod die quadam strenue contra semetipsum pugnavit se vicerit, efficiendo, ut non irascendo injuriantibus, virtus ejus tanto magis elucesceret: priusquam vero factum Annales recensent hoc de illo encomium præmittunt: non invenitur contra aliquem, quantumcumque inimicus sibi aut contrarius extiterit, aliquam ultionem exercuisse, aut expetivisse vindictam; id quod magis perspicua exacti historia elucescet, quod tale fuit. Dum enim in statu privato degeret, pessima a certo quodam homine in propria persona affectus fuerat injuriis; postquam vero jam longo tempore ad sublimem Papatus dignitatem evectus fuisset, injuriator credens Clementem nimia arduorum negotiorum mole obrutum, vel injuriarum factarum non posse recordari, vel illum minime agniture esse, quamdam ei porrexit supplicam, in qua pro semetipso eximium quemdam posebat favorem. Clementem libellum suppli-

cem magna quidem cum benevolentia, quoad exteriorem apparentiam, in manus proprias accepavit, verumtamen interius se ad præcedentem injuriarum vindictam per petitionis repulsam sumendam stimulari sensit, et tamen semetipsum gloriose superavit. En tibi ipsissima historiae verba: qui licet supplicationem hujusmodi benigne in manu propria recepit, tamen in suo secreto existens, dum eam perlegisset, super vindicta de ipso assumenda per petitionis denegationem, aut alias quodammodo tentatus, ipsam projecit ad terram pedibusque conculcavit; quam demum jam sumit, et serio primo similime fecit, et ea postremo reassumpta, sibi ipsi loquendo audientibus tamen aliquibus suis circularis tibi astantibus, dixit: Vade diabole, quia hodie facere non poteris, quod me vindicem de quocumque; et hoc dicto supplicationem prædictam illico, ut petebatur signavit. Hinc non immerito Petrarca de eo cecinit:

Nulli major inest clementia, nomen ab ipsis
Dignum rebus habet.

RAYNALD., an. 1352, num. 29,
MANSI, tr. XXXVI, dis. 5.

De sanctæ Lydivinæ virginis admirabili in tolerandis injuriis lætitia et exultatione, historia vite ejus ita loquitur: Venit aliquando ad Lydivinam, magnæ sanctitatis virginem, mulier quædam tremens et furens, innumeris eam injuriis, contumeliis, et convitiis proscindens, ut posset ejus commovere animum; sed cum hac ratione nihil proficeret, in faciem mitissimæ virginis fœdissime expuit. At vero nec sic eam quidquam promoveri sentiens, clamoribus et maledictis tanquam vim passa, vicinos concitare cepit: sed sancta Virgo in patientia animam possidens, adeo mansit immota, ut mirarentur universi. Maleficium vero beneficio compensare volens, clam ei munusculum transmisit, dicebatque suis: Illis ergo debere me fateor, quia viam mandatorum Dei, quorum plenitudo dilectio est, me currere impellunt. VITA, c. 1.

S. Comes Elzearius a conjuge sua aliquando interrogatus, qualiter omnes sibi factas injurias, easque plurimas, pacato semper, serenoque animo ferre posset: mox quærenti sapientissime satisfecit, prout ex sequentibus totius rei gestæ verbis colligitur: sedate vultuque placido et jucundo, admirans tam insignem, tamque invictam

in illo patientiam, utque eo certius periculum faceret, intra conclave ita ait ad eum: Quid hominis es tu, Elzeare, qui nunquam erga illos, qui te injuria afficiunt, commoveris? videris esse trunci instar, aut statuas nihil sentientis, et tamen patibilis: At fortasse vel nescis, vel non potes irasci? et quid obsecro, officeret malis (qui interdum injuste te lædunt), si te quandoque illis iratum ostenderes? Ad hæc homo lenissimus respondit: Equid vero, Delphina, prodest irasci? nihil profecto: attamen explicabo tibi arcanum pectoris mei. Noveris me interdum sentire aliquam in anima adversus infestantes me indignationem, sed illico me convertito ad meditandas injurias Christo illatas; eumque imitari cupiens, dico mihi ipsi: Etiam si famuli tui barbam tibi convellerent, et colaphos tibi infringerent, nihil esset ad Dominum tuum, qui majora perpessus est. Certumque habeas, me nunquam cessare ab injuriis Salvatoris mei commemorandis, donec animus meus plane sit tranquillatus; atque hanc fateor me habere a Deo peculiaris gratiam, ut eos, qui mihi injuriosi sunt vel æque, ut ante, vel plus etiam animum: et pro eis specialiter orem, agnoscamque et confitear, me majoribus et atrocioribus injuriis dignum esse. FLORES EXC., XXII, ss. 4.

In Pio V, incredibilis fuit lenissimi animi clementia, qui damnatum majestatis reum, quod in eum probrosum vulgasset libellum, ad se jussit adduci, aperuitque interrogando viam, ut parere posset: Hæc ut certe, non in Pontifice Christi Domini Vicarium, sed in fratre Michaeli Gisleirum dixisti. Ita factum esse annuente dimitti jussit, monitum abstinere exinde lingua, ne maledicendi libidini vite compendium faceret. Jo. RHOI., l. VII, c. VIII, ex. 1.

De Alberto Bojarie Duce sic scribit Joannes Rho: Rarum nunc aliquid (et cui nihil majus, aut par viderit olim, aut certe prodiderit antiquitas, et in quo magnifice se circumspiciant clementia, et mansuetudo) de Alberto narraimus, novum nimirum penæ genus in homines, nobiles illos quidem, sed majestatis compertos, damnatosque, hos conjugationis reos, habitique apud exteros delectus, ut civili bello omnia turbarent, quum ipse absque tumultu in potestatem redisset, et occidere posset, satis habuit, annulorum gemmas, quibus conjugationis tabulas obsignaverant, super incudem frangere, il-

losque simul comperti sceleris, simul sua mansuetudinis admonere. Ac, ne aliquid de hujus veniæ laude ultrix olim fama vindicæ apud posteros memoria decerperet, reorum nomina historiae vetuit inferri, nam vel in ipsa nomina seviræ, pars quædam videtur esse crudelitatis. Is., ex. 6.

Domestica Philippi II, Hispaniarum Regis, mansuetudo, cum incredibili gravitate conjuncta, mores illius reddidit admirabiles. Nihil tam præposterum accidebat, ut exacerderet, infra regium fastigium iram etiam arbitratus. Vigilaverat ad multam noctem, litterasque ad Pontificem de gravissimis Christianæ rei publicæ negotiis dederat, quam absolutam epistolam aulicæ ab epistolis dedit, ut complicatam, obsignatamque sigillo inscriberet; ille semisomnis epistolam recentem ab atramento pulveraturus, hand satis attentus atramentarium invertit, totamque corrumpit; exanimaverat hominem casus inopinus, cui serena fronte Philippus, huc affer, inquit, aliam chartam, iterumque scribere orsus epistolam de integro composuit. Progressurus in publicum leviores ocreas, pro ætatis more, ut indueret, assederat, quum una induta, alia diutissima fuit quærenda, neque tamen, unquam administris iratus est, aut asperiori verbo quemquam læsit. Sexcenta hujusmodi narrantur regie argumenta mansuetudinis quæ tanto Regibus magis esse debet commendata quanto ira illis gravior, et subita atque austera verborum, mortis fulmina plerisque semper fuerunt. Sed clementia nescio quid grandius spirat. Toleti regio egredientem palatio, equo vectum, supplex femina, cujus filium quæsitores rerum capitalium damnaverant interpellare ausa, clementiæ illius fructum cepit; substitit enim Philippus, advocatisque iudicibus de causa necis cognovit, ac jure damnatum videri adolescentem pronuntiavit. Tum ad proceres, qui in equis stipabant conversus, quandoquidem nemo est, qui vindictam reposcat, ut me interpellasse matri inutile non sit, illi filium dono; jussitque solvi, ac vivere. Is. ex. 8.

In sua inauguratione, dum quis pertica multitudinem compescere volens, tres crystallinas lampades confregisset, ita ut oleum in Regis ac Reginae vestes defluisset, nihî aliud dixit, quam sereno vultu hæc verba: hinc se angurium capere, quod super se unctio pacis et abundantia rerum futura esset. HENR. ENGELRAMN., in Do. XX, post Pent.

Mansuetissimi virum ingenii fuisse tradunt Julianum Cæsarium Cardinalem, ejusmodi utraque et divina, et humana fingere potuit sapientia. Mulam, qua Cardinalis sublimis vehi solebat, a fuere negligentiam amissam nuntiaverunt familiares. Julianus accitum hominem de ea re interrogat; et ille contumaciis, quam Domino decuit, respondebat. Siluit diu Cardinalis, atque ad amicos conversus: vos vero, inquit, nolite, quæso, admirari, me arrogantiam, et contumaciam hominis non castigasse; verbar enim, me quid iræ jam acrius se incantanti liceret; itaque dandum spatium rationi fuit, ut integrum in administras perturbationes imperium recuperaret, ne, dum alios castigamus, ipsi aberremus. Jo. RHO, l. VII, c. v, ex. 12.

Cum S. Martinus Turonensis Episcopus dioceses visitaret in rhedam fiscalem per aggerem publicum venientem militibus referant indicit. Sed ubi Martinum in veste hispida nigro, et pendulo palliolo circumtectum, contigua de latere jumenta viderunt, paululum in partem alteram pavefacta cesserunt. Deinde funibus implicitis portentosos illos, quibus misera illa animalia conglobantur, ordines miscuerunt: dumque ægre expediunt moram fecere properantibus. Qua permoti injuria militantes præcipitatis in terram saltibus se dederunt; deinde Martinum flagris, ac fustibus urgere ceperunt, cum quidem ille mutus, et incredibili mansuetudine terga præbens cadentibus majorem insaniam infelicibus commoveret, ex hoc magis furentes, quod ille quasi non sentiens verba illata contemneret. Comites illico eum secuti aliqua enim necessitate remorati fuerunt, fœde cruentum atque universa corporis parte lanatum cum exanimis in terram proenbuisset, invenerunt: eum asello suo imposerunt, ac statimque locum cædis illius exacerantes, raptim abire properaverunt. Interim illi regressi ad rhedam suam furore satiati, agi, quo ire ceperant jumenta præcipiunt. Quæ cum omnia solo fixa ac si ænea fuissent tollentibus altius vocem magistris, flagris hinc atque inde personantibus, nihil penitus movebantur. Consurgunt deinde omnes pariter in verbera, consumit gallicas mularum pœna magistias, tota rapitur sylva de proximo, trabibus jumenta traduntur, sed nihil penitus sævæ manus agebant, uno eodemque loco stabant fixa simulacra. Quid

agerent infelices homines nesciebant, nec jam ultra dissimulare poterant, quin agnoscerent divino Numine se teneri. Tandem ergo in sese reversi cœperunt querere quis ille esset, quem in eodem loco paululum ante cœdissent. Cum peruncantes cognoscunt ex viantibus, Martinum a se tam crudeliter verberatum, tum vero omnibus apparuit causa manifesta, nec ignorare jam poterant, quin ob viri illius injuriam tenerentur. Igitur omnes tum rapidis consequuntur passibus conscii audacis facti, ac merito pudore confusi flentes, et pulvere, quo se ipsi fœdaverant, capita, atque ora conspersi, ante Martini se genua provolvunt veniam precantes, et ut eos abire sineret postulantes; satis se vel conscientia dedisse penarum, satisque intellexisse, quod eodem ipsos vivos absorbere terra potuisset, vel ipsi potius amissis sensibus in immobili saxorum naturam rigescere debuissent sicut affixa locis, quibus steterant jumenta, vidissent: orare se, atque obsecrare, ut indulgeret sceleris veniam, et copiam præstaret abundi. Senserat enim priusquam accurrerent, Vir beatus illos teneri, suisque comitibus id ante jam dixerat. Veniam tamen clementer indulgit, eosdemque abire permisit, animalibus restituit. *SEV. SULPR. in vit. Martini, l. II, c. IV.*

Sanctus Joannes canonicus regularis in Anglia, et cœnobii sui Prior, cum a quodam monasterii sui fratre verbis valde contumeliosis diu impetitus nihil moveretur, unus ex astantibus rogaret, cur ejus petulantiam non reprimeret, cum uno verbo illud facere posset, jubens ut ad cubiculum suum redeat respondit: Si flamma vorax ædificii tecta lambens in sublime feratur, num tu consulto facturum putabis eum, qui plus etiam materia injicere in flammam velit. Frater iste ad præsens magno ardet furoris æstu, cui si ego comminationum faculas admovere velim, furor ejus magis magisque inflammabitur. Sed ubi hæc flamma deferberit, tum demum ad opportuna remedia animo placato accedemus. Atque, his dictis, nihil commotus abscessit. *In vita ejus, apud SUR. t. V, p. 787.*

UTILITAS. — Bartholomæum Martinum ordinis Minimorum, libere pro concione quondam locutum Cabræ Marchioni, qui sua vitia, idque suo in oppido ab homine semipagano denotata indignissime ferebat, eum irarum plenus cum adisset, omni contu-

meliarum genere proscidit, addiditque minas peratroces illud sæpius ingeminans, numquid me nosti? Cui Martinus: Ego vero te nosse, mihi perhonorificum esse duco, virum scilicet nobilissimum: quidni enim, quum ego agricolæ ex pago Marmogio filius sim? ego mortalium plane ultimus, ac deterrimus; lotque addit in eam sententiam, ut mollissima responsione refrigeratus homo periracundus, lacrymis obohtis iram omnem extingueret, ac sibi plane reditus, domum reverteret. *Idem, ecc. 14.*

Annales Franciscanorum de fratre Junipero tractantes referunt, qualiter hic multis aliquando impetitus contumeliosis, vestimentum extenderit dicens: Amice, proficias huc liberaliter, imple gremium istud lapidibus pretiosis, imple, ne timeas. *WADING. an. 1210 n. 35.*

S. Liduina virgo, prout in vita ejus legitur, postquam post triginta octo annos continuam, eamque gravissimam tolerasset infirmitatem, tandem Martyrii desiderio exardescens, in ecstasi rapta fuit, ubi coronam inestimabilis valoris pretiosam vidit, cujus necdum terminatus erat circulus; cum igitur eam sibi in cœlis præparari audiret, facileque causam, cur nondum finita esset, intelligeret, a cœlesti sponso suo pœnas passionisque sibi inferri petiit, usque dum dictus perficeretur circulus. Sed quas putatis ejusdem fuisse gemmas? Deus post aliquantulum temporis milites ei immisit, et ab illis per injurias, impropria, aliasque similes insolentias male eam tractari permisit; quibus transactis, Angelus solem splendore suo referens ei apparuit, dicens: Salve charissima soror, ecce nunc absoluta corona quam nuper imperfectam vidisti; ludibria et verbera corpori tuo imposita fuere gemmæ, quas in illa corona adhuc vidisti deesse. *SUR. in vit.*

Abbas quidam cum monachum quemdam juxta morem ad civitatem misisset, ut necessariam monasterio provisionem compararet, in proscriptum quemdam hominem incidens, zelo quodam, non tamen secundum scientiam immoderato abreptus, eundem interrogavit dicens: Quo vadis dæmon? et ille respondit: Tu experieris me esse dæmonem, et extracto gradio occidit eum. Abbas vero, a quo prædictus monachus missus fuerat, eidem latroni obvius factus amicabiliter eundem salutavit, quem raptorem ite-

rum Abbas inveniens, dixit ei: Salve frater et ille respondit: Non frater tuus, sed frater dæmonum sum, et secutus Abbatem, factus est monachus. *DIONYS. CARTIUS. ap. MANSI. disc. XIV, n. 3.*

Rusticus quidam citra causam Abbatem Servium inurbane tractarat, qui, cum impropria non modo patienter toleraret, sed et insuper benigne rustico responderet, non modo impium placavit, sed et in tantum convertit, ut ad pedes Abbatis prostratus veniam petierit, monasticumque statum amplexus fuerit. *Idem.*

Quidam e fratribus monasterii hujus magno furore commotus, procaeter ingressus in aulam, ubi vir mansuetus Joannes nomine cum quibusdam familiariter conferebat, multa in eum convitia contumeliose jactitabat, minis et clamoribus in se effecturum sperans, ut ira promoveretur. At ille fellis expers ne verbum quidem ei respondit: Id cernens quidam, præ cæteris viro Dei familiarior: cur tam (inquit) atrociam hujus hominis dicta perfers, cum verbo uno edicere possis, ut redeat ad cubiculum suum? vide, quæ suis verbis rationes prætexit, utque ex latens nequitia fovea tumens superbia, innocentiæ pronelatrix caput exerat suum? quid ita negligis existimationem tuam, honorisque tui injuriam? cur tante nequitia administrum non reprimis? Ei beatus vir sic respondit: si flamma vorax ædificii tecta lambens, in sublime feratur, num tu consulte facturum putabis eum qui plus etiam materia in flammam injicere velit; frater iste ad præsens magno ardet furoris æstu, cui si ego comminationum faculas admovere velim, furor ejus magis, magisque inflammabitur, atque ita fiet, ut in recam viam facile et amanter revocari non possit, sed ubi hæc flamma deserberit, tunc demum ad opportuna remedia animo deliberato accedemus. *Idem, n. 4.*

Alphonsi Aragonum regis celeberrimum erat effatum: Malo multos mansuetudine vincere, quam paucos severitate perdere. Id quod in obsidione Cajetæ urbis ostendit: quom enim obsessi ob commeatu inopiam, imbellem turbam emisissent ex urbe, certa spes potiundæ urbis affulgeret, si illam turbam repelleret in civitatem, maluit tamen obsidionem solve, quam consilium hoc arripere dicens: Pluris mihi est hominum incolunitas, quam centum Cajetæ. Unde civis tanta mansuetudine commoti

ultra urbem dederunt. *BEIL., in fest. Omn. SS. them.*

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius inter præcipuas laudes habebat mansuetudinem, qui licet perfervidi esset ingenii, usque adeo seipsum subegit, ut domestici et medici eum phlegmaticæ potius, quam cholericæ naturæ esse crederent. *Vita, l. V.*

S. Franciscus Xaverius tam mitis erat ac comis, ut summus æque ac infimos pelliceret, adeoque cunctorum teneret animos, ut eos, quocumque vellet, impelleret, multique sociorum nulla alia de causa illum viderent, quam ut ejus mansuetudine et cœlesti conspectu recreati ad beatæ vitæ studium accenderentur. Meaci ad circumfusam multitudinem verba faciens, licet a pueris et fœce plebis lapidibus appeteretur, nullum tamen commoti animi indicium dedit. *Vit., l. VI.*

S. Franciscus Borgias in se semper rigidus et severus, in alios blandus et facilis erat, nihil ut sibi ignosceret, aliis omnia. Nihil aspere imperabat, sed blanditiis delincentis sic appellabat: Fac, queso, illud Dei causa et amore adductus: Anderesne illo, valetudine salva, proficisci? Valesne ut in missionem evangelicam pergere queas; commodum tibi erit Doctoris titulum tueri, hujus vel illius artis? in mentem mihi venit, hoc tibi munus imponere, sed animi tui sententiam explorare prius libuit. Si quis humanitas lapsus impegisset in re levi, nihil acerbius eloqui solitus, hoc tantum dicebat: Ignoscat tibi Deus, sic te sanctum videam, frater: quomodo dictum, factum ve illud abs te? sin gravius deliquisset, ad se accessitum blande compellere, nihil tamen impunitum relinquere? parentis optimi simul et medici functus officio, crimen itaque referre, petere, ut penitentia ductus respicatur. Paratum se in pœnâ partem, licet culpæ affinis non esset, venire. Sed et illud identidem usurpabat, facilitate nihil esse homini melius atque clementia. Et, omnia prius consilio experiri, quam armis, sapientem oportere. Postea vero si mores ingentiumque mutasset in melius, qui deliquerat, summa præteritorum errorum oblivio erat. *Vita, n. 4.*

P. Bernardinus Realinus tam mitis erat

ingenii, ut omnes hac virtute in sui amorem alliceret. Dum juxta Societatis morem penitentia alicui injungenda erat, nusquam magis illius mansuetudo et charitas eminebat. Nescires sane, quis in hoc genere posset esse cordator, adeo omnes amoris limitis hæc tum excedere visa est. *Vita*, c. xiv.

P. Franciscus Suarez tantæ erat mansuetudinis, et in omni actione ac motu modestiæ ac moderationis, ut tanquam philtro quodam animos sibi adjungeret audientium, hoc illicio humilitatis, quo uno Ludovicum de Ponte Societati conciliavit. Nulla verborum illi inter disputandum acrimonia, nullus aculeus. Nihil, ut falsum, absurdumve, quod contra se afferebatur, condemnat. *Biblioth. Scrip. Soc.*

Cum P. Joannem Ogibeam mulier quædam maledictis et opprobriis prosunderet, et inter alia obliquitatem oculorum exprobraret, ipseque nihil ab his commotus, blando et sereno vultu diceret: Domina, Deus tibi tam elegantem formam tuam diu conservet incolumen, illa adeo ab hac mansuetudine emollita est, ut publice mox fassa sit, penitere se, quod injuriam ei fecerit. *Vita*.

Leo Henricus Novitius ædem aliquando sacram ingressus cum plenam tumultu et immodestia reperisset, cathedram ascendit, superque his verbis: Domus mea domus orationis vocabitur, acriter intonuit. Movit ea res populum, et unum præcipue, qui cum frustra Leoni silentium mandasset, tandem colaphum etiam concionanti infregit; quo Leo accepto, continuo Deo gratias agens ad pedes percussoris advolvitur, illosque et dextram, qua eum percussorat, ad osculum exposcit. *Hist. Soc.* l. VI, n. 96.

Joannes Fernandus cum Amanguzii ad populum verba faceret, Japon quidam salivam in os ejus coniecit; qua tamen ille injuria minime commotus, strophiole salivam abstersit, et hac sua mansuetudine quemdam ad fidem convertit. *Hist. Soc.* lib. XI, n. 194.

P. Paschasius Broettus cum socio Lutetiæ messores transiens, ab iisdem convitiis cum appeteretur, baculo innixus tandem perstitit, donec pudore alii et satietate cessarent; tum ille erigens se, suavissimeque illos intuitus, Deus, ait, benigne vobis faciat, filii, ac benedicat, simulque crucis si-

gno facto illis benedixit. Permoti illi hac vii mansuetudine ad genua accedentes, se convitatores, illum Sanctum prædicabant. *Hist. Soc.* lib. VI, n. 21.

P. Mutius Vitellescus tam rara erat mansuetudine præditus, ut ob eam ab omnibus non modo subditis, sed exteris etiam unice amaretur; nec quisquam facile ab ejus alloquio discederet, quia non abunde sibi ab eo satisfactum fateretur, raramque de ejus mansuetudine et prudentia æstimationem conceperet. *Menolog.*, 9 febr.

P. Ferdinandus Rebellus vir doctissimus, theologus excellens, Academiæ Eboensis cancellarius, librorum editor, licet sæpe inter disputandum asperis verbis gravius pungeretur, nunquam tamen vel licentius respondit, vel ullum irati animi sigum dedit, sic ut ab Academicis externis alter Job diceretur, et laudaretur. *Ann. Eboriac.* 1608.

Romæ anno 1546, religiosus quidam eruditus, ex amico inimicus factus invidia stimulat, graviter in Ignatium Lojolum exarsit: qui etiam jactare cepit, omnes nostræ Societatis homines, qui in Hispania essent, a Perpiniano Hispani usque igni se traditurum, idque Ignatio, qui verbis suis renuntiaret, misit. Cui Ignatius per eundem scripto ita respondit: Tu quidem quotquot nostri in Hispania sunt cremandos te curaturum, dicis; ego vero id dico, et opto, ut et tu charitate flagres, et amici tui, ac necessarii, non solum qui in Hispania sunt, sed in universo terrarum orbe Spiritus Sancti igni inflammantur, et ardeant: ut perfectionis culmen adepti divinam gloriam augeant magis et illustrent. Quod si quid contra me, bone pater, habes, judices Romæ sunt, gubernator et vicarius, qui nunc Summi Pontificis imperio res nostras cognoscunt, ut sententiam de illis ferant: ad illos referas quæso, antequam sententiam pronuncient, ut ego, si quid debeo, solus exolvam, et corpore meo potius satisfaciam (quod mihi quidem erit jucundissimum) quam alii, qui in Hispania sunt, sine culpa, pœnas indebitas pendant. Lutetiæ conturbantem Ignatii quemdam fuisse diximus, qui commissa sibi pecunia Ignatium defraudavit, et in eas angustias hominem coniecit, ut magno studiorum suorum incommodo quotidie menditare cogereetur. Huic igitur pecunia fraudatori, gratiam hunc in modum Ignatius retulit. In Hispaniam ille

Lutetia decedens, dum opportunam Rhotomagi navigationem expectat, in morbum periculosum incidit, sciens autem Ignatium admodum mitem, ac singulari charitate præditum, ad eum de sua adversa valetudine amice scribit, et quasi beneficio aliquo a se affectus esset Ignatius, ejus opem auxiliumque postulat. Oblatam occasionem Ignatii charitas avidè arripuit, ut libenter se impenderet, et superimpenderetur ipse pro anima illius, et carbones ignis non vindictæ, sed divinæ caritatis in caput ejus congereret. Rhotomagum ergo quaerendi juvandi que hominis causa confestim ire statuit, et magna spiritus alacritate ac robore animi tridui iter nudis pedibus, atque ita jejunos percurret, ut ne aquam quidem gustaret. Sed et Lancinius testatur his verbis: Sæpenumero sine justa causa a se data variis criminibus Barcinouæ, Compluti, Salmantice, Parisiis, et Romæ laceratus, tranquillo ac humili animo propter Deum toleravit patienter et libenter omnia. Eos, qui impedire volebant, rogabat strenue, ne impedirent, conviatoribus gratias agebat, et quibus poterat beneficiis eos cumulabat. *LANCIN.* t. II, *Opusc.*, f. 68.

Robertus Bellarminus Cardinalis, non suos tantum inter religione fratres agens mitissimo semper ingenio usus est, quod ego licet in tanta ingeniorum varietate magnum sit, non tamen adeo mirabile esse arbitror, verum etiam jam dominus familiam omnem mansuetissime continuit, et si quid a domesticis peccaretur in obsequio, aut penitus dissimulavit, aut verbis lenissimis emendavit. Caput hominem musici organici scientem, sed contumacius agitantem, mira clementia, ipsaque dissimulatione castigatum, quum ab ea cura dejectus videretur, conservavit, aliosque mores exemplo docuit; ne qui tibias illas tam numerose inflabat, ipse absonis motibus sacræ reipublicæ ordinem turbare vellet. *Rhon.* l. VII, c. viii, n. 3.

Franciscus Suarius (ut supra hoc §, jam insinuatum qq. fuit) quamvis in disputando vehementissimus esset, vim tamen sapientiæ per clamores indecoros, aut (quæ illis adhuc pejus odit) jurgia, et liberius dicta ostentare, hominis esse putabat illiberalis. Itaque si concertator aberraret, mansuetissime plerumque dicebat, se minime libenter regredi, progredi posse, si videretur. Alius est sapientiæ ingenium, atque

majestas, quam ut iræ famulatio stipari velit. *ib. ib.*, n. 6.

EXEMPLA PROFANA.

Socratem aiunt colapho percussum nihil amplius dixisse, quam molestum esse, quod nescirent homines, quando cum galea prodire deberent. *SENEC.* l. III, *de Ira*.

Nota est discipuli illius historia, qui per integrum triennium nonnullos jussu Magistri sui stipendiis præmiabat, ut eum injuriis assidue onerarent, ut per eandem in patientia se exercere, virtutemque mansuetudinis sibi comparare posset. Post hoc vero tempus quando Athenas veniens, a quodam Philosopho convitatus, non solum inde non conturbatus fuit, sed gaudens et ridens eandem accepit, causam hujus sui gaudii et risus interrogatus, respondit: Tribus ab hinc annis injuriatorem stipendio conduxit, nunc vero me illum sine meo dispendio reperisse magnopere gaudeo; cui Philosophus: Ingredere in civitatem, quia dignus es. *MANSI, dis.* 10, n. 2.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut chirurgus cauterium applicaturus membro putido quam lenissime potest id peragit, ut minorem dolorem mente concipiat, aut corpore æger sentiat; ita cujusvis disciplinæ præfectus omnem aculeum deponat, cum creditum sibi gregem instruit. *BEURLINK, in fest. S. Matt., them.* IV.

Sicut debilis stomachi est, cibum duriorum non posse concoquere; ita pusillanimis est, verbum duriusculum non posse sustinere. *ARISTOT.* l. IV, *Eth.* c. III.

ÆQUITAS. — Sicut crucem adoramus e ligno formatam, et e vermicibus exasam, quæ cæterquin concieretur in ignem, ex eo solum motivo, quia patibulum Redemptoris nostri representat; eodem modo, tametsi contumelia nobis ab impio quodam homine ingeratur, ejus cor plenum est veneno odii, rancoris, et invidiæ adversum nos conceptæ, attamen quia Deus idipsum ordinat et dirigit, ut bonum pro malo reddamus (siquidem nec folium moveri potest sine divina ipsius voluntate) ideo contumeliæ gratiam habere debemus, quia scit Deus contumeliam hanc,

si velimus, ad animarum nostrarum cooperaturam esse profectum, ac proinde virtuose et æquanimitate a nobis esse toleranda, et dissimulanda. *MANSI dis. II, n. 3.*

Sicut bonus medicus maniacum primo monet, deinde etiāsi gravia ab eo patiatur tamen ille tanquam ægrum, etsi cædatur, sustinet, etsi maledeatur, non relinquit, et quidquid potest medicinæ adhibere, non denegat, nec tanquam contumacem deserit, sed tanquam bene de se meritum, omni studio sanare contendit, exercens non solum artis peritiam, sed etiam mentis benignitatem. Ita ergo etiam justus, et dum contemnitur a peccatore, non avertitur, et cum læditur, furoris illud putat esse, non improbitalis, magisque vulnere ejus medicinam afferre desiderat, et compatitur, et dolet. *S. AMBR. in Ps. CXVIII.*

Sicut dæmoniāci plerumque nos verberant, nec solum non moventur, verum etiam eos deflemus. Ita igitur, et tu facito, miserere te contumeliantis; magna enim bellua, ira scilicet: et furore pernicioso, scilicet dæmonem delinetur: solve ipsum, qui ab hujusmodi dæmone vexatur. *S. CHRYS., ho. LXXXVIII. in Math.*

Sicut cum juste quispiam torquetur, si magno animo patitur, injuste cruciari multis videtur: sic, qui cum injuria vexatur, si non perfert, jure puniri putabitur, ac deridebitur, quasi mancipium ab ira distractus, et animi nobilitatem furori subjiciens. *Id. 16.*

NECESSITAS. — Sicut apes, dum aculeum exerunt, mox intereunt; ita qui mansuetudinis virtutem dimittit, summum sibi exitum causat. *S. BASIL. ho. 8. Hexam.*

Sicut non potest ignis igne extingui, repugnans enim hoc naturæ; sic nec furor alio furore demulceri potest. *S. CHRYS. ho. LVIII. in Gen.*

Sicut in cytharis fides rumpuntur, si nimium tendantur; ita subditos frangi et corrumpi pronum est, si nimium exasperentur aut inclementer tractentur. Quod idem de ramo etiam cecinit Ovidius, dum dixit:

Frangitur obsequio curvatus ab arbore ramus.
Frangas, si vires experiere tuas.

Sicut non sit mare tranquillum, nisi cessaverint venti; nec ignis extinguitur, nisi materiam subtraxeris, aut aquam assuderis, ita nec animus erit mitis et quietus, nisi quæ exsuscitant et inflammant, fuerint subtracta

aut mansuetudo assumpta. *DAD. in loc. com. simil. v. Mansuet.*

UTILITAS. — Sicut equi et canes venatici familiaritate ciboque curantur potius, quam catenis et verberibus; ita homines humanitate magis ac beneficiis, quam asperitate et crudelitate conciliantur. *FABRUS in Apoph. Roman.*

Sicut nervi in corpore dispersa et separata membra conjungunt; sic etiam dissidentium animos mansuetudo, quæque eam semper comitatur humilitas unit. *BEIRLINCX, In festo S. Math. them. 4.*

Sicut fulmen molli thoro illapsum vires amittit; ita mansuetudo omnem iræ impetum frangit.

Sicut vitra et fletilia vasa commodissime in stramine, vel gossipio, aliave molli materia asservantur; ita animi duriores aut imbecilliores non melius et efficacius, quam per mansuetum agendi modum curantur. *HUGO CARD.*

Sicut rogam, cum valde accenditur, aqua injecta extinguit; ita animus camino magis exardescens, verbum cum mansuetudine prolatum mitigat. *S. CHRYS. ho. LVIII in Gen.*

Sicut solis jubar, ut primum apparet, fugat tenebras; ita mansuetus et benignus sua præsentia res turbulenta componit, quietasque ac tranquillitas reddit. *S. CHRYS. in Oziam.*

Sicut in aqua telum non figitur; ita si injuriæ in mansuetum incidunt, virtutem exerere non possunt. *Id. ho. x, 4.*

Sicut in obstinatoribus urbium inexpugnabilium obsidionibus, obsessi integras bombardarum, aliarumque machinarum militarium tempestates ejaulari solent, sed qualiter hæc omnes ab arte et industria militari reprimuntur ac redduntur inutiles? materia iis obicitur mollis v. g. lana, terra, fæces aut similis alia, quæ omnem impetum illius destruit vigorem; sicut enim glandium ictus materiam lædunt duram, et lapides fortissimos rumpunt; ita e contra per materiam teneram ac mollem penitus enervantur; ita quoque in præsentia; nam responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitatur furorem. *MANSI, dis. 14, n. 9.*

Sicut homo cibi avidus et vorax, ex illis saturatur epulis, quæ majoris sunt substantiæ, magisque palato sapiunt; ita Spiritus S. qui Propheta hujus calamus direxit, gaudium exprimere volens, quo homo sanc-

tus perfunditur, dum contumelias afficitur, eandem adducit hominis glosi similitudinem, inquit: « Saturabitur opprobriis, » id est, ut Carthusianus exponit, plurima sustinebit, et in ipsis, quasi in epulis, lætus erit. Unde Hugo Cardinalis dicit: Saturabitur, id est, gaudebit opprobriis. *Id. disc. 6, n. 1.*

DIGNITAS. — Sicut non est magni animi, qui de alieno liberalis est, sed ille, qui, quod alteri donat, sibi detrahit; ita clementem et mansuetum vocabo, non in alieno dolore facilem, sed eum, qui cum suis stimulis agiletur, non prosilit, qui intelligit, magni animi esse, injurias in summa potentia pati, quidquam esse gloriosius principie illæso. *SENEC. l. I, de Clem., c. xx.*

Sicut tela a duro resiliunt, cum dolore cædentes solida feriuntur, ita nulla magnus animus injuria ad sensum sui adducit, fragilior eo, quod petit. Quanto pulchrius, nulli velut penetrabilem telo, omnes injurias contumeliasque respuere? Ultio, doloris confusus est. *LIB. I, de Ira, c. l.*

JUCUNDITAS. — Sicut mons Olympus extra omnem tempestatis injuriam positus, purissima semper aura circumdatus est; ita mens hominis mansueti, montis vertici similis est auram quidem habenti tenuem, parum vero radium, pura fontium fluentia, multasque florum amenitates. *S. CHRYS. ho. XIX, ad pop. Antioch.*

Sicut cum cælum est innube, cum sol ridet, omnia longe jucundiora sunt, quam cum fœde ruunt supernæ tempestates; sic oris mansueti homo, dietis suis factisque omnibus incredibilem aspirat gratiam, sola mansuetudinis serenitate. *DREX., in Rosis, p. 1, 30, 2, § 3.*

MOTIVA.

Quia Deo hæc virtus gratissima est: nam, ut S. Chrysostomus testatur, Deus non ita diligit homines propter virginitatem, jejuniū, contemptum divitiarum, hilarem eleemosynarum largitionem, ut propter mites beneque compositos mores. Certe Moyses, si S. Dionysio credimus, ideo Deo erat familiarissimus, quia mitissimus. Ideo Prophetis omnibus dignior, quia et mitior omnibus: nec unquam prius divinam amicitiam læsit, quam a mansuetudine nonnulli defecit. *In Ps. XXIV.*

Quia nulla fere virtus Christianum magis decet atque exornat: nam S. Chrysostomo teste, in hoc servi Dei eos qui ignorant veritatem potissimum antecellit, qui in mansuetudine conversentur. Servus Christi magis a morum lenitate, quam nomine, quod ei parentes impostuerunt, vocandus est. Et iterum: multæ quidem sunt virtutes, quæ hominem Christianum decent, maxime autem mansuetudo, quæ Dei imitatores nos facit. Quoniam cum tantas passus sit Christus et blasphemias et tormenta, et tanta miranda operatus sit, mansuetudinem tamen declaravit, quia nullum ex his, qui impie agebant, punivit. Hinc Sanctus Christophorus accepto a Sami Præfecto colapho dixit: Repercusissem, nisi essem Christianus.

Quia naturæ maxime consentanea est: nam cum nulla, ut recte dicitur Seneca, sit humanior, constat, necesse est, non solum inter nos, qui hominem sociale animal communi bono genitum videri volumus, sed etiam inter illos, qui hominem voluptatis donant, quorum omnia diæta factaque ad solam utilitatem spectant. Et iterum alibi: Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem, et in eodem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, et sociabiles fecit. Iste versus et in peccatore, et in ore sit: Homo sum, humani nihil a me alienum puto. Habeamus in commune, quod nati sumus. *SENECA, de Clem., c. III, Id. Ep. xcv.*

Quia optimum ad alios regendos instrumentum est: uti natura in apum rege docuit, qui aculeo caret, uti aliqui volunt, aut eo non utitur, ut alii contendunt; romanus Philosophus, exemplar hoc, inquit, magnis regibus inest. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores, cum tanto hominum moderator animus esse debeat, quanto vehementius nocet.

Quia efficacissimum est medium ad animos amicorum pariter ac inimicorum conciliandos; nihil enim, ut S. Chrysostomus testatur, ita conciliat domino familiares, quam si videant illum tranquillum se offerre, et mansuetudine jucundum. Hinc et ipse Christus cum dixisset: discite, quia mitis sum, mox addidit: et invenientis requiem animabus vestris: non propriis tantum, sed alienis etiam vestræ curæ aut charitati commendatis. *S. CHRYS. hom. de Mansuet.*

Quia singularem orationibus nostris efficaciam conciliat, ad quævis a Deo impetranda: nam humilium et mansuetorum semper tibi

placuit deprecatio, inquebat olim Judith. JUDITH IX, 16.

Quia non parum etiam conducit ad tentationes carnales superandas: nam, ut sapienter Cassianus advertit, quantum quisque in lenitate ac patientia cordis profecerit, tantum in puritate corporis proficiet; quantoque longius iracundiæ propulerit passionem, tanto tenacius castitatem obtinebit; non enim æstus corporis declinabit, nisi qui motus animi ante compesceat. CASSIAN., *Collat. X*, c. VI.

Quia plurimum promovet temporalium bonorum augmentum: juxta promissum Christi: Beati mites, quoniam possidebunt terram. In quæ verba S. Ambrosius, merito, ait, possidebunt terram, in quibus Deus ipse requiescit, sicut divino per Isaiam revelavit oraculo dicens: super quem requiescam, nisi super humilem et quietum? MATTH. V, 4.

Quia Christo similem facit: cujus mansuetudo per quatuor animalia exprimitur. Agnum, cujus mansuetudo tum maxime patet cum deberet illam excutere, cum scilicet ad mortem petitur. Unde Jeremias ore sic loquitur: « Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam. » Columbam, quæ felle caret, nec resistit, sed lapillo aut a milvo impetita, fugam sibi consulit. Ut hunc spiritum mansuetudinis in Christo monstraret, apparuit illa super caput ejus. Messiam illum esse, probare vult Matthæus ex illo vaticinio ante prænuntiato: « Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam. » Super asinam, inquit S. Chrysostomus, non super equam, signum belli, et jactantiæ, sed super animal mansuetum tranquillitatis et pacis amicum, et ad aliena onera portanda paratum. Hinc et nonnulli ad Christum pertinere illud vatis Regis arbitrantur: « Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. » Sic aliquis vir sanctus asinum se inter fratres reputavit ut hæc cogitatione ad mansuetæ ceterorum levanda onera animaret. Vermem denique se esse dixit Christus: « Ego vermis, et non homo. » Qui proterenti non resistit, sed se recolligit, et contrahit. O quanta in his omnibus ad imitandum leges! PETR. FENEG. *Conf. xv*, n. 8.

Quia est honestior vincendi modus, ut S. Augustinus his verbis indicavit: quando vindicari vis, sine dubio vincere vis: vide, ne dum vis hominem vincere, ab ira vicaris. Quia læsit, vis et tu lædere? quia nocuit

vis et tu nocere? quomodo vincis malum in malo? non hoc dixit Apostolus, non hoc audisti: ego nolo vinci a malo, audisti: et forsitan respondebit: hoc et ego volo, sed nemo me vincit, dixit enim Apostolus: « Vince in bono malum, » hoc est, qui te læsit sua iracundia, tu illum vince tua patientia. Idem quoque Apostoli consilium: « Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. » S. Anselmus his verbis considerat: contende non malo, sed bonitate. Ipsa est enim vera contentio, vel certamen salubre ut sis bonus contra malum, non ut sint duo mali. Si tu jam non es malus, obsta malo, ut sis bonus. Si displicet tibi malus, noli fieri malus, nam si repercutis, malo vis vincere malum. In sensibus vel motibus animorum ille dicitur vicisse, qui alterum ad suam traxerit partem: si ergo mali vicissitudinem a te receperit ille, te vicit, et passionis similitudine vitio suo subdidit: Si autem per patientiam tuam cessare eum ab ira, vel injuria feceris, tu vicisti, et de peccato ad salutem lucrando proximum, triumphasti. Porro in oculis hominum mundanorum (qui actionum virtuosarum et Christianarum nequam sunt competentes judices) ita quidem videtur, quod is, qui inter opprobria patiens est, nec illis refert vicissitudinem, ignavus sit, et honorati nominis sui oblitus; verumtamen alia debet esse Christi fidelium opinio, qui actiones suas per dnelli legem minime regulare debent. Etenim, qui lædit, superare læsum videtur, inquit D. Chrysostomus, sed perniciosas sibi victorias sternit. Læsus autem si magno animo perfert injuriam, quamquam victus videatur, coronam tamen splendidam adeptus est. Sæpenumero ergo vinci, quam vincere, præstantius est, optimus profecto iste victoria modus est. S. AUG., *In Psalm. xciii*.

Quia summam continet dignitatem: quam ingeniose indicavit Didacus Nissenus sic dicens: plurimi interpretes volunt, quod Jacob ad Esau aiebat, « vidisse faciem ejus quasi vultum Dei, » id dixisse, ut quanta fuerit animi magnitudo fratris sui, quanta et generositas pectoris illius, ea occasione declaratum testatumque daret: illud ergo Jacobi: « Vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei: » tale fuit, ac si dixisset, quod in amplexu meo, mi frater, cucurristi, quod collum meum tam amanter invasisti; quod me ambabus, ut aiunt, ulnis tam suaviter strinxisti; quod præceptæ benedictionis in-

MEDIÆ.

Exemplum Christi assiduo ob oculos habere: quid enim est, inquit Sanctus Gregorius, Dominum mitem se in magisterio atque humilem dicere, nisi relictiis exercendæ elationis difficultatibus, plana quædam bene vendi itinera demonstrare? Idem medium suavitatis S. Basilii, dum dixit: si stultus et indoctus appellaberis, reminiscere eorum, quæ a Judæis in veram sapientiam jactata sunt. Nondum condemnatus es, nondum cruci affixus. Multa tibi toleranda, ut ab ejus imaginationem pervenias. Talia et horum similia tibi succurrant, mentisque tuæ impetum et iram compescant. Similes namque præparationes et animi dispositiones, motus cordis et impulsus facile delebunt, et animi cogitationes in tranquillum statum deducunt. Certe si quis Redemptorem nostrum injuriis et improprie impinguntum fuisse diceret, ut tanto acceptior ejus victima in passionis suæ holocausto fieret, ad æternum Patrem suum placandum, nihil utique a veritate alienum dicitur esset. Quia Sanctus Ambrosius textum illum S. Lucae, « Occidisti filii vitulum saginatum, » de Christo interpretatur, inquit: memorare, quia pro te Christus occisus est, qui ante fuit vitulus saginatus, injuriis videlicet, et opprobriis. MANST., *Disc.*, c. vi.

Quod confirmat S. Bernardus, cum sic, inquit, amor Christi totum absorberit affectum hominis, ut negligens et immemor sui, non nisi desum Christum, et ea, quæ sunt Jesu Christi sentiat, tunc demum, ut arbitror, perfecta in eo est charitas. Iste non sentit injurias, ridet opprobria, contemnit damna. S. BERN. c. xvii, de *Int. dom.*

Sed et Sanctus Ambrosius ad stipulans, injurias passus est (Christus) ne tu injuriam tuam doleres: grande remedium, solatium habere de Christo; ille enim pro nobis hæc patientius tulit, et sumus, qui patienter hæc pro illius nomine ferre nequeamus? S. AMBR. I, II, de *Fid.*, c. vii.

Unde præclare Petrus de Domino Jesu in epistola sua posuit, qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur. Ad ejus ergo similitudinem atque imaginem, justus cupiens suæ vite institutum formare, accusatus tacet, læsus remittit, dissimulat læcessitus, et non aperit os

juriam oblitus, tam liberaliter omnem noxam mihi condonasti, id tam heroicum opus, tam illustre facinus est, ut mihi de facie Deum magis ignoscentem sceleribus, quam hominem remittentem injurias, referre visus fueris. Nec miror, quod Jacob talia dixerit, dum cogito, quantam vim sibi inferre homo debeat, ut validissimam illam, et vehementissimam vindictæ cupiditatem, quæ suas in penitissimo corde nostro radices easque profundas habet, coercemus, et estringamus. Ita sentit S. Joannes Chrysostomus, qui tom. III, Hom. de decem millib. talent. sic habet: in ira nervosiore industria opus est, violentus enim affectus est, et tyrannicus, et subinde abripit non satis vigilantes, et ad barathrum ipsum perditionis affert: videte ergo, an sit vile opus, an potius præclarissimum facinus, vincere seipsum, condonando injurias, et de se ipso tam gloriosum triumphum reportare, remittendo illata incommoda. DIO. NYSS., lib. II, *Pol.*, c. iii.

Quia summa quoque nobis necessitas est, quam Josephus Mansi hoc discursu ostendit: Salvator noster quondam sicut illi maledixit eo quod fructus in illa quærens, non inveniret et tamen S. Marcus inquit: « Non enim eret tempus flicorum, » cur igitur hanc arborem igni destinavit? Origenes in sensu mystico respondet: per hanc arborem denotari animam, quæ fructificare debet etiam eo tempore, quod sibi videtur esse intempestivum seu inopportunitum, per fructus autem illos agnoscit, de quibus S. Paulus ait: « Fructus autem spiritus, charitas, gaudium, pax, patientia, mansuetudo, etc. » horum fructuum perferendorum fertilis esse debet anima quælibet fidelis, quando minus opportunum est tempus, id est, tunc vel maxime mites et benigni esse debemus, quando vel maxime injuriis oneratur, et indigni habemur, tunc fructus profert sicut in tempore non suo. Sanctus et Seraphicus D. Francisus dicere solebat, invidere se terræ, quæ, quanto magis ligonibus et aratris proscinditur, tanto magis ad proscindendum commodum fructibus rependit injuriam, et quanto pluribus conspurcatur sordibus, et immunditiis, tanto abundantiores et sapidiore parturit herbas et fructus, quanto etiam profundius ejus viscera excavantur, tanto pretiosiores ad nos locupletandos aperit argenti et auri venas. MANST., c. v.